

W. 5.



Si Deus est animus nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi praecipue sit pura mente colendus.

Martini Thile.

Non sum solvendo, mihi debita tibi remitte,
Da mea conseruo mens sit ut aqua vivis.

2. de 4. Monarchiis Dresferi:

3. De sapientia ^{quodam} Scribonij.

4. Praecept. mors Camerari.

5. Expositio versuum Solonis eigd.

6. De institutio puerorum eigd.

7. De vita decente aetatem puerit. eigd.

8. De thomis Someri, Lantibad, Crispit.

ORATIO
 DE QUATVOR
 MONARCHIIS, SIVE
 SUMMIS IMPERIIS, A
 Daniele Propheta ex-
 pressis.

Oratio

CONTRA VETEREM
 IVDÆORVM ERROREM,
 hoc tempore à Ioanne Bodino
 Gallo, in methodo histo-
 rica renouatum.

Dresserus
Altera oratio q̄ eundem
annoxa e millenario quinto eig
isagogus synonice.

Matthæus Dresserus.

Dress



I 5

8 I

81
8187

L I P S I Æ.

B

ORATIO

DE QUATUOR

MONARCHIS SIVE

SYMMETRICIS

ONTRA VETEREM

ET NOVAM ROMAM

POSTERIORIS JOHANNIS BOGNERII

GALLI ARCHIDIAconi

TIENENSIS

MACCHABEUS

DRUCKER

1681

LEIPZIG

IN

OFFICIO

JOHANNIS

LEIPZIG

1681

LEIPZIG

1681

LEIPZIG



MAGNIFICO,
NOBILISSIMO, ET
AMPLISSIMO VIRO, SA-
pientia, virtute & doctrina commemo-
rabili prædito, D. Sigismundo Vieheu-
fer, I. C. sacræ Cæsareæ maiestatis, &
Imperij Rom. Vicecancellario,
suo domino & patrono
obseruand.

S. P.

Necidi nuper admodum in
lectionem methodi histori-
cæ Ioannis Bodini, in qua,
præter cætera acutè argu-
tèq; disputata, confutatio erroris de
quatuor summis mundi imperijs extat
atq; eminet. Miratus sum primùm qui-
dem insolentiam disputationis; mox
tamen, ut me collegi, errorem, vel
potius delirium Iudæorum antiquum
esse cognoui. Recordabar enim, iam
olim diuum Hieronymum & Theodo-
retum cum eodem portentò opinionis
dimicasse, nec noui quicquam à Bodi-
no hõc tempore proferri, sed explosum
iamdudum, & infra omnes mortuos

A 2

aman-

P R E F A T I O.

*amandatum commentum ab inferis
reuocari. Adeo absq; vlla exceptione
verum est, quod Comicus citat: Nihil
est dictum, quod non dictum sit prius.*

*Manifestum est autem, nullum esse
dogma tam absurdum, quin applauso-
res inueniat. Itaq; veritus sum, ne for-
tè ab imperitis etiam hæc ipsa Bodini
de Monarchijs disceptatio cum appro-
batione plausuq; exciperetur. Quid
enim tam est facile, quàm specie, veri
presertim, falli, decipi, aut in errorem
induci? Etsi autem disputatio liberalis
& erudita vituperari nequaquam de-
bet, tamen Prophetarum testimonia
aut vaticiniorum Prophetarum fi-
dem in dubium vocare, à professione
hominis Christiani alienum est prorsus.
Quamobrem cum fidem autoritatemq;
Propheta Danielis de re omnium ma-
xima, hoc est, de regno Messie in his
terræ incoandò, & de eiusdem extre-
mo ad iudicium aduentu eleuet; com-
mittendum minimè esse putavi, vt in
conten-*

P R A E F A T I O.

contentionem veniret. Quae sanè causa mihi satis iusta & grauis est visa, ut hanc Apologiam adornarem, & Danielis vaticinium defendendum susceperem. Id quod præstare in hac oratione debitâ modestiâ et verecundiâ, nullâ conuiciandi, aut pugnandi cum Boddino libidine, conatus sum; & quidem ex fundamentis solidis & firmis, nempe ex ipsis verbis, mente atq; sententiâ Prophetæ, tum perpetuò etiam omnium antiquorum & orthodoxorum in Ecclesia Christi doctorum consensu & suffragatione. Est enim hoc antiquæ virtutis & fidei nationis Germanicæ, non verbis, multò minùs conuicijs, certare cum aduersario, sed in re causâq; ipsâ spem victoriæ omnem ponere.

Sed quid ad te ista ab homine scholastico? Hic percipe atque cognosce, queso & obsecro, amplissime Vir, equitatem excusationis meæ. De Monarchijs equidem si quisquam iudicare possit aut debeat, tu & dignus & idoneus



P R Æ F A T I O.

maximè ab omnibus existimaris : Ut-
pote cuius studium, opera, industria,
sapientia, fides, integritas, eruditio, &
virtus in hoc ultimo imperiò, quasi lu-
men aliquod iam per multos annos elu-
cet. Eò enim locò te Casarea Maiestas,
atq; adeò frequens Rom. Imperij sena-
tus esse vult, ubi summum totius impe-
rij consilium est, ubi libellorum de gra-
uissimis causis communis quedam offi-
cina est, ex quo deniq; mandata de fa-
ciendis aut non faciendis in omnes par-
tes, prouincias atq; regiones imperij
mittuntur. De imperijs igitur cõmen-
tatio ad quem iustius, quàm ad te re-
fertur? Nec à scholastico etiam alie-
num habere animum ullò modò potes,
quippe qui in schotis celeberrimis Ger-
maniae, Galliae, & Italiae præter ceteros
floruisti, & ad summam dignitatem
per omnes honorum gradus elatus es.
Ex qua igitur re præmia tibi pro indu-
stria tuâ data sunt tanta, quanta, haud
scio, an ulli alijs: eius certè memoriam,

amo-

R R E F A T I O.

amorem, atq; benevolentiam depone-
re nullò modo potes.

Accipies itaq; absq; vlla dubita-
tione, hanc è schola profectam appel-
lationem atq; commentationem eò ani-
mò, quò virum magnum & honores
maximos per eruditionem & sapien-
tiam adeptum decet. Fieri autem mi-
nimè potest, quin cum sapientia tanta
commemorabilis etiam comitas atque
humanitas coniuncta sit. Hâc igitur
inductus, ad bene de omni euentu spe-
randum quasi signum aliquod subla-
tum esse existimo.

Neg; tamen vllius beneficij certum
nomen à te in hac compellatione peto:
benevolentiam solùm & equitatem in
iudicando peto, ut probari tibi hoc, qua-
lecunq; meum in te studium intelligam,
& carum me esse tibi, tanto viro, tam
ego, quàm alij etiam cognoscant. Vale,
ex VII virali ludo, qui est Misna,
VII. Idus Ian. Anno LXXXI.

Matthæus Dresserus.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Matthaeus Di...

F
m
tis
ba
&
re
&
re
&
ef
co
fo
q
co
q
ci
ta
e
v
b
f



Oratio.

Petulantia est & libido ingenij, non sapientia, conuellere & labefactare ea, quæ veris fundamentis nixa magnò consensu multis seculorum ætatibus, comprobata sunt. Etsi enim præclarum est, & liberale, Socratis more, *εἰς ἐκάτερον*, in vtramq; partem differere, & collatis sententijs, quid in quaq; re verum sit, inquirere: tamen finis & modus cuiusq; disputationis hic esse debet, vt tandem inuentâ & cognitâ veritate, mentes acquiescant. Verùm difficilis & perardua quæstio videtur, quidnam verum, certum & sequendum sit in vnoquòq; doctrinæ genere, in tam anticipiti præsertim contentione, tantâq; opinionum varietate. Quod enim vni rectum, id alteri falsum videtur: quod præcedens ætas probauit, id sequens reprobandū censet. Hæc dissimilitudo iudiciorum

ORATIO DE QVA-

plurimos adeò offendit atq; turbat, vt, quò se inclinent, vehementer dubitent. Agnosco autem, & quidem iure omni deploro nostra vulnera, fateorq; multa esse, quæ non satis peruestigari atq; cognosci à nobis possunt: sed tamen via est ad certitudinem perueniendi, in præcipuis dogmatibus atq; disciplinis, expedita & recta: quam qui sequitur, animò certò & confirmatò esse potest, vt labi per errorem non sit necesse. Talis via in Theologicis dogmatibus est verbum Dei, quod Psalmus vocat lucernam pedum & lumen semitæ. Et Petrus appellat firmum sermonem, cui qui attendit, ceu lucernæ apparenti in loco obscurò, rectè facit, nec errare potest. Hoc itaq; verbum in Theologia fundamentum & norma sit certitudinis, quæ nec allucinari nec vagari huc & illuc mentem patitur. Neque sanè fieri aliter absq; salutis nostræ

nostræ dispendiō potest, quin de Dei voluntate in nos certi aliquid habeamus, quō nixi ex hoc visibili mundō in alium inuisibilem migrare possimus.

In Philosophicis verò materijs via triplex est certitudinis consequendæ: αἰσθησις, πρόσληψις, καὶ γνῶσις. Quis enim adeò vel stupidus est, vel demens, vt id certum esse neget, quod vniuersalis experientiae testimonium comprobat & stabilit? Quis, nisi infanus contra principia disputare audeat? Quis deniq; iudiciō aliquō præditus rectæ connexioni omnium partium in argumento non assentitur? Hæ itaque viæ siue faciles, siue difficiles, tritæ sunt, & rectè nos ducere possunt ad veri in quaq; scientiã & arte cognitionem, vt vagari aut hære in salebris minimè cogamur. Si qua etiam dubitatio de dogmate, aut quâcunq; aliã materiã inciderit, ad hæc

ORATIO DE QVA-

hæc κριτήρια, siue ad has certitudinis normas deliberatio & iudicium omne referendum est.

Ex eodem itaque fonte iudicari etiam peruulgata illa de quatuor summis imperijs sententia iure debet, & vt mihi quidem videtur, negoció non magnó poterit. Hanc vocat Ioannes Bodinus inueteratum errorem. Ego verò vaticinium Propheticum re euentuq; probatum appello. Et habet quidem Bodinus rationes præclaras in specie atq; plausibiles, sed exiles prorsus, & ad tenue elimatas. His itaq; ego fundamenta solida opponam, ex ipsis verbis Prophetis expressa, & omnium consequentium ætatum historiã confirmata. Quod nisi fecero, incæpti me mei audacis, atq; inanis pœnitere fatebor: Sin verò perfecero, consilium atq; cupiditatem temerariam corrigere Bodinus non grauabitur.

Primum

T V O R M O N A R C H I I S .

Primùm omnium Monarchiæ definitionem quærit Bodinus , & meritò quidem, vtpote à qua omnis disputatio proficisci, tanquam ex fonte, debet. Fatendum est autem, vocem Monarchiæ, aut imperij in Daniele, quem caput & autorem vaticinij de Monarchijs constituo, non inueniri. Quid ergo? Non est, quòd quisquam istò nomine laboret; salua res est. Daniel vniuersalia orbis terræ regna quatuor nominat, aureum, argenteum, æreum, & ferreum. Iam quid est regnum, omnia complectens, nisi Monarchia? Si ergo planum ex ipsis verbis Danielis fecero, quatuor ista regna eiusmodi planè esse, vt omnia complexu suo coërceant atque contineant, tunc neq; de vocabulo, neq; de definitione quærendum amplius videbitur.

Sic autem de primo regnò discretè ait Propheta ad Nabogdonosorem :

rem: Deus in potestate tuá omnia posuit. Est ergo primum regnum Assyriorum, siue Chaldaeorum verè Monarchia, siue καθολικὸν imperium, quod totum terrarum orbem complexum est. De secundo regno idem inquit capite eódem: Postea aliud regnum argenteum, minus primó, consurget, vbi minus, interprete Theodoretó, non imbecillius, sed secundum significat. Et ista si parùm cōmoda fortè videtur interpretatio; in medio sunt verba Prophetica, cap. 5. Diuisum est regnum tuum, & datum Medis atque Persis. Ex quo sanè intelligitur, Assyriorum regnum diuiná potentia à Babylonicis regibus ad Persas translatum esse, iuxta regulam: Regnum à gente in gentem transfertur propter iniusticiam. Cap. 8. idem Propheta ait: Vidi arietem cornu ferientem occasum, septentrionem, & meridiem, nec vlla bestia

T V O R M O N A R C H I S .

stia poterat resistere ei, aut liberari de manu eius. Hic in omnes mundi plagas diffusum esse Persicum imperium expressè dicitur. Nam ex oriente mouit castra & sceptrà ad Aquilonem, Austrum, & Occidentem, vsque ad ipsum mare. Cùmq; nulla bestia, id est, singulare regnum, vt Theodoretus interpretatur, huic Persico imperio obsistere potuerit; ecquid illi ad Monarchiam defuit? De tertio autem regnò areó verba Prophetæ perspicua sunt, quæ asseuerant, in vniuersa terra illud esse imperaturum. Nec de quarto dubium esse potest, quin καθολικόν omni iure habeatur, cùm clarè de eo affirmetur, quòd sit contriturum & comminuturum omnia. Quòd si omnia comminuit aut conterit, non video, cur vniuersalis imperij nomen illi denegetur.

At nondum fortasse satisfactum est Bodino, qui definiri Monarchiã certis

certis regionibus atque terminis,
 tum Principis alicuius aut populi
 origine clarā cupit. Cui respon-
 deo, Monarchiam non regionum
 spacijs, aut populorum numero,
 nec vllā Principis origine illustri
 metiendam esse, sed ex natiuo fon-
 te, hoc est, Prophetæ ipsius verbis,
 & sententia æstimandā. Non enim
 in vaticinijs diuinis humanum ad-
 hibendum est iudicium, neq; con-
 sulenda ratio, sed solius verbi du-
 ctum sequi oportet. Quod nisi fe-
 cerimus, labefactare facilè poterim-
 us Danielis prophetiam, & om-
 nia eius regna euertere. Age enim,
 si locorum aut regionum multitu-
 dine atq; amplitudine metiri volue-
 rimus Monarchiam; ecquid stabit
 Assyriorum, Persarum, aut Græco-
 rum Monarchia? quippe qui neq;
 Europæ, neq; Africae, neq; Orien-
 tis omnes partes complexi sunt.
 Quotus enim quisq; eorum popu-
 lis

T V O R M O N A R C H I I S .

lis Septentrionalibus , quis Africanis , quis Indianis omnibus imperavit ? Ergo nihil efficies , si hęc modò argumentari voles : Monarchia dominatum totius terrarum orbis continet. Talem verò nemo ab initio mundi consecutus est aut tenuit. Non itaq; vllus Monarcha in terris fuit. Non , inquam , tolerari potest hęc consequentia, iccirco quia ex definitione vitiosá conficitur. Alia multò est lingua Prophetica , quæ in rationis ordinem non planè se patitur redigi. Hanc itaq; nos cum reuerentia & admiratione discere , ducente Spiritu cœlesti , non rationis iudiciò prorsus ponderare conuenit.

Quid igitur nominat Propheta Monarchiam ? Vocat regnum κατ' ἐξουσίαν , quod Deus potentia, fortitudine, & gloria , præter cætera regna armauit, & in omnes dominari vult. Hęc siue inepta, siue absurda

B videat.



videatur, est Monarchiæ definitio, contexta nimirum ex verbis Prophetæ, omni exceptione maioribus. Tale regnum qui tenet, Monarcha iure appellatur, voce à Græcis scriptoribus, Herodotô, Platone, Aristotele, Isocrate usurpata. Nec plura fingenda sunt, quàm quatuor hæc, à Daniele expressa. Non enim decet nos recedere à vaticinij Prophetici verbis, aut affingere aliquid, præter genuinam eius sententiam. Estq; autor, fundator & gubernator talium regnorum Deus ipse, qui regna conferendi & transferendi potestatem solus habet. Etsi itaq; multò plura sint in orbe terrarum regna, tamen hæc quatuor sola appellantur à Daniele regna, excellenti nomine & titulô, tanquam capita, quibus reliqua ceu membra subiecta esse debent. Ex quo ipsi etiam Græci cum βασιλέα nominant, alium regem

TVOR MONARCHIIS.

gem nullum, nisi Persicum intelligunt, κατ' ἐξοχλῶ.

Iudæi, quamvis populus Dei electus & carus, regnum tamen eiusmodi, quod Monarchia dicitur, consecuti non sunt. Quia Deus hoc decus & nomen ad eos non transtulit, sed sub catholicis, siue cardinalibus hisce regnis semper latere illos voluit. Iccirco Assyrijs etiam, quando libuit, tanquam flagellō, ad castigandum suum populum usus est, donec eum penitus ex Iudæa in Assyriam traducendum curavit. Nec post Assyriorum imperium immunes esse Iudæi à Persarum, Græcorum, & Romanorum potentiâ atq; imperiō potuerunt: quō agnoscerent hanc Dei ordinationem in terris, & ad peccandum tardiores essent. Hinc intelligit Bodinus, non solum non regionis finibus, & populi origine præclarā, sed ne religione quidem ipsa, qua

ORATIO DE QVA-

sanctius tamen & preciosius in terris nihil est, Monarchiam definiri. Etenim si religio Monarchiam constitueret, regia gens aut natio anteponi Iudæis posset? Verum non contigit hic honos, ne Salomoni quidem ipsi, quò nullus rex fuit sapientior & florentior, ne dum tyranno Turcico, aut regi Aethiopum, Tartarorum, aut Americarum regionum, quantumvis triplò totam Europam superantium. Ratio alia non est, nisi quòd Deus illis titulum tantæ dignitatis non tribuit. Atq; hæc est prima differentia siue nota, per quam quatuor Monarchiæ Danielis, à reliquis orbis terræ regnis discernuntur, nempe fundamentum certum, nomen & testimonium in verbo Dei, quòd sint regna regnorum vsque ad filij Dei aduentum, & nouum regnum spirituale in cœlis.

Altera nota est potentia, fortuna,
na, &

T V O R M O N A R C H I I S .

na, & gloria eximia, quâ diuinitus
 circundantur Monarchiæ. Id quod
 verba Danielis apertè confirmant:
 Tu rex regum es, & Deus cœli, re-
 gnum potens, forte, & gloriosum
 tibi dedit. Quod autè de vna Mo-
 narchiâ dicitur, id de omnib. con-
 sequentibus in hoc officij munere
 intelligi debet; adeò vt de Cyro,
 de Alexandro, de Augusto, de Ca-
 rolo, de Maximiliano æquè atque
 de Nabogdonosore dictum pute-
 mus. Quemadmodum verba ad A-
 damum & Euam semel facta à Deo
 in paradiso, ad omnes consequen-
 tes ætates atque homines sine vlla
 dubitatione pertinent. Neq; verò
 potentia, autoritas, & gloria ista
 rationis iudiciò prorsus ponderan-
 da est, sed ex verbo Dei tota iudi-
 canda. Non enim, si quod regnum
 fortè potentius, maius aut robu-
 stius in terris inuenietur, propterea
 Monarchiæ nomen merebitur. Nec

ORATIO DE QVA

id, quod mundus admiratur, & magnificat, semper coram Deo excelsum est, & gloriosum. Est igitur ab hisce spectaculis abducendus animus, & in solo Dei verbo acquiescendum, quod asseuerat, virtutem Dei etiam in infirmitate perfici. Non statim omnes reges terræ subiebat Nimrod, & tamen rex regum erat. Dominus erat terræ sanctæ Patriarcha Abraham ex pacto Dei: & in ea tamen ne vestigium quidem pedis tenebat. Benedictio diuina pronunciata primis coniugibus: Crescite & multiplicamini, communis est omnibus posteris: & tamen multi in coniugio inueniuntur steriles. Hic si quis propter nonnullorum coniugum sterilitatem negare aut minuere velit diuinæ benedictionis vim, audiendus planè non erit. Manet enim Dei benedictio, tametsi non omnibus contingat Individuis. Ad eundem sanè modum
 bouph
 sua

T V O R M O N A R C H I I S .

sua est Monarchijs potentia, fortitudo, & gloria, quã diuinitus ornatae sunt; quamuis interim imbecillitas, aut debilitas, atq; deformitas aliqua accedat. Mirabiliter enim Deus suum imperium administrat, & penè omnia eius opera fiunt in contrarijs medijs. Quamobrem mirum non est, si ratio absque verbo Dei iudicans, confusa & conturbata saepe erret, & velut ad vadum, scopulumque appulsa, expedire se non satis possit.

Eadem est ratio postremae particulae in definitione Monarchiae, quod scilicet in omnes dominetur. Hic enim si exiliter nimis ad calculum reuocare vocabulum forte velles, facile efficeretur, nullam Monarchiam in terris vnquam extitisse. Cuius enim imperij potestas tanta fuit, vt absq; vlla exceptione omnibus hominibus in tam dissitis & late diffusis regionibus dominare-

tur? Non sic Assyriorum, non Persarum, non Græcorum Monarchia stabit, aut nomen suum tuebitur. At nihilominus sic loquitur & affirmat scriptura. Quid ergo? Deficiendum ne propterea esse à verbo Dei existimabimus? Minimè. Non enim humanò iudiciò æstimandum est Dei verbum, sed contra verbū Dei confirmandum iudicium humanum. Propheta ait, omnes de Seba venient, & laudes Domini annunciabunt. Vbi de collectione Ecclesiæ ex gentibus vaticinatur. Sed num propterea credimus, eius regionis trans Arabiam incolas omnes Christianos esse factos? Alius Propheta ait, Omnes erunt docti à Deo. Hoc experientia certè reprobatur, & clamat res ipsa, prorsus exiguum esse coetum eorum, qui Euangelio obtemperant, & à Deo se doceri atq; regi patiuntur. Quare cedat hîc ratio, valeat verò

verò verbum eius , cuius inuicta est fides , & tremenda autoritas , maneatq; illud in caussa , non ppter ea regnum aut Monarchiam nullam esse , quæ cunctis , sine exceptione , non imperat in terris . Sic enim scriptura solet sæpenumero omnia nominandò præcipua complecti , vel ex omnibus aliqua , per figuram in alijs etiam linguis vsitatam . Nam & Cicero de Romana Rep. loquens , Orbis terræ imperium appellitat : cum tamen neq; Asiæ , neq; Africæ , neq; Europæ vniuersæ vnquam imperarit . Satis igitur fuerit de præcipuis gentibus & nationibus tale orbis imperium intellexisse ; quamuis interim plurimi populi terrâ mariq; excludantur .

Iam hisce notis Monarchiarum expositis , sequitur , vt quænam illa quatuor regna vniuersalia in mundo sint , explanetur ; tum vt , quomodo ornamenta hæc , siue , vt ita

ORATIO DE QVA

dicam, requisita singulis earū congruant, ostendatur. Nisi enim definitio ijs ex omni parte conuenierit, frustra nomine isto hactenus appellasse videbimur.

Primæ mundi Monarchiæ initium posuit Nimrodus, Noæ pronepos, annó 1788. cum iam post diluuium humana gens multifariam aucta esset, & in plures prouincias atque regiones dispersa. Consecratusq; is in terra Chaldæorum, ex quo Chaldæorum Monarchia vel etiam Assyriorum & Babyloniorum appellatur. Durauitq; annis, Diodoró quidem teste, 1360. Hunc robustum venatorem coram Domino vocat Moses, quòd exercitus duxerit, & armis homines ad legitimam obœdientiam coegerit. Additur autem coram Domino, ut significetur, diuinitus illum fuisse armatum, atque donatum potentia, robore, successu, & victoria, in
consti-

T V O R M O N A R C H I I S .

constituendo & retinendó imperiõ.
 De Nabogdonosore autem & suc-
 cessoribus eius Ieremias Propheta
 cap. 27. Seruiant Nabogdonosori,
 ait, omnes gentes, & filio eius, &
 filio filij eius. Ac ne quid in obscu-
 ro aut dubiõ relinquatur, disertè
 appellat Daniel Nabogdonosorè,
 cum inquit: Tu rex regum es. Item,
 Tu caput aureũ es. Cum itaq; absq;
 vlla controuersia Nabogdonosor
 rex Assyriorum fuerit; quis de As-
 syriorum Monarchiã dubitare po-
 test, quin ea prima sit, inter quatuor
 prædicta à Daniele regna?

Secunda Monarchia cepit annõ
 mundi 3 1 4 8. durauitque annos
 2 0 7. Huius *ἑξάρχου* siue caput fuit
 Darius, qui extinctõ propter su-
 perbiam & idolorum cultum Bal-
 thasare, Nabogdonosoris nepote,
 captãq; Babylone, Assyriorum re-
 gnum ad Medos transtulit. Ex
 quo Medorum regnum siue Monar-
 chia

chia appellatur. Et quoniam Darius Cyrum Persam, sororis filium, belli socium contra Assyrios fecerat, factum est, ut vno anno post captam Babylonem Cyrus summam imperij adeptus sit. Ex quo etiam Persarum Monarchia hæc ipsa nominata est. Ex quo bellè admodum Theodoretus; Medi etiam Persæ, inquit, simul nominantur, quod Cyrus à Patre Medo, & matre Persa, originem duxerit, & quia primus ipsorum rex fuerit. At dixeris, secundum quidem regnum nominat Daniel argenteum, sed quomodo sciri potest, Persicum siue Medorum illud esse regnum, cum nominatim non exprimat Propheta? Hic audiatur optimus suorum verborum interpres ipse Daniel, qui cap. 5. ait de Balthasare: Diuisum est regnum tuum, & datum Medis atq; Persis. Hic expressè poni intelligis Medorum atq; Persarum nomen

T V O R M O N A R C H I I S .

men & regnum. Et cap. 8. disertè
ait: Aries, quem vidisti, rex Medo-
rum atq; Persarum est. Vbi iterum
expressè Medorum atq; Persarum
regnum nominatur, vt de nomine
secundæ Monarchiæ nullum dubi-
um sit reliquum.

Sed rursum obijcies de successo-
ribus Balthasari in regno Babylo-
nicô hæc verba esse accipienda,
non de translatione siue vniuersali
mutatione regni: præsertim cùm
ipse Daniel mox dicat: Eâdem no-
ctè interfectus est Balthasar, rex
Chaldæorû, & Darius Medus suc-
cessit in regno. Quod si de succes-
sione solâ intelligi verba debent,
haud fanè video, cur nouum re-
gnum siue secundam Monarchiam
introducamus. Sed est, quod re-
spondeam. Solutio enim præstô est.
Daniel ipse interpretationem sug-
gerit, cùm ait ad Balthasarem: De-
us regnum tuum compleuit. Quô
verbo

verbô absque vlla dubitatione circumactam esse periodum regni Babylonici indicat, & fatô iam distrahi illud, & aliô transferri. Id quod res etiam atq; euentus declarauit. Capta est enim Babylon, quò finis eius Monarchiæ conspectior esset, & ad gentem aliam imperij summa deuoluta est: Vt iam dubium nullum esse possit, quin alia etiam Monarchia noua constituta sit. Nec aliud Esaias voluit, cum Persas & Medos vastatores Babylonis cap. 21. appellat, inquit: Ascende Elam, obside Mede, nisi vt destructionem regni Babylonici, & constitutionē Persici nobis demonstraret. Cùmq; Daniel aliud hoc regnū dicat, non fas est dubitare, quin diuersum à superiore intelligi velit.

Hæc autem cur argentea nominetur, non est, quòd multis declararem, cum manifestum sit omnibus, regna mundi æquè, ac alias res omnes

nes

Y V O R M O N A R C H I I S .

nes in mundo, paulatim deficere, in deterius ruere, diminui, & quò propius à fine absunt, eò languidiora & asperiora fieri. Inde argentea hæc secunda ab aurea nominatur, quòd nimirum v̄t aurum præstantius est argento, sic secundum regnum inferius est primò, robore, virtute, & durabilitate. Iccirco tamen non est existimandum, non factis roboris huic regno fuisse ad Monarchiam, minus enim à Propheta dicitur, v̄t quidem Theodoretus interpretatur, non v̄t infirmum, sed v̄t secundum. Quod enim potentia eius longè lateq; in omnes mundi partes patuerit, suprà ex Danielis cap. 7. ostensum est, partim ex historia secundi Paralip. 36. cognosci potest: sic dicit Cyrus rex Persarum; Dominus Deus cœli dedit mihi omnia regna terræ. Ex quibus sanè efficitur, & initium huius Monarchiæ certum & definitum esse
in sacris

ORATIO DE QVA

in sacris Biblijs, & nomen expref-
sum atque diftinctum à fuperiori
Monarchiâ, tum potentiam etiam
tantò imperiò dignam à Prophetis
affignatam: vt, qui iam dubitare de
fecunda Monarchiâ ampliùs velit,
is manifestis atque illuſtribus Pro-
phetarum conſentientibus testimo-
nijs contradicere videatur.

De tertia igitur Monarchia, vt
deinceps eòdem ordine & euiden-
tiâ explicem, atq; in oculis conſpe-
ctuq; omnium ponam neceſſe eſt.
Hæc itaq; initium ſuum duxit à vi-
ctoria ad Arbela, quâ Alexander
Magnus copias Darij vltimi Perſa-
rum regis fudit, & Aſiæ imperiò
potitus, Monarchiam à Perſis ad
Græcos tranſtulit, annò mundi,
3642. durauitq; annos 282. do-
nec Iulius Cæſar victò Pompeiò,
primus Monarcha & Imperator
Romanus appellatus eſt. De hac
Daniel Propheta inquit: Conſur-
get

T V O R M O N A R C H I I S .

get regnum tertium aliud. Vbi iterum & ordinem & diuersitatem audimus. Cùm enim tertium nominat, de numero nos certiores facit. Cùm aliud dicit, à præcedente discernit, vt iam tertiam Monarchiam mundi planè definierit. Sed vnde, inquires, Græcorum eam esse propriam cognosci potest? Hic iterum Prophetam propheticis verbis interpretabimur. Sic enim cap. 8. ait: Hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, est rex primus. Vbi disertè nomen Græci regis ponitur, vt dubium nullum esse possit, quin Monarchia Græcorum notetur. Quod autem hircus iste, Danieli visus, non aliò, nisi ad regem Græcorum referri possit aut debeat, confirmat etiam Iosephi testimonium, qui librò vndecimò, capite vltimò scribit, Sacerdotes Iudaicos narrasse Alexandro hoc Danielis vaticinium,

C

tinium, quod ante annos ducentos ediderat, fore nimirum, vt rex Græcorum Imperiô Perficô potiretur. Vnde haud dubiè motus Alexander, Pontificem summum reuenter tractauit, & Hierosolymam ingressus, Deo Israëlis supplex factus est, & sacrificium obtulit.

Etsi autem Alexander nec totum terrarum orbem domuerit, nec imperium diuturnum habuerit, tamen verè factus est Monarcha, hoc est, dominus & victor orbis, & terror omnium gentium: Vel, vt Daniel ait, imperauit vniuersæ terræ. Nec æreum propterea nominatur à Propheta ipsius regnum, quòd infirmius aut angustius fuerit superioribus, sed, siquidem Hieronymo credimus, quod, vt æs inter omnia metalla vocalius est, & clariùs tinnit, sonitusq; eius longè lateq; diffunditur: sic non tam famâ, potentiâ, & celeritate, quàm eloquentia sermonis

monis Græci Alexandri Monarchia antecellit. Ex quo aui comparatur ille cap. 7. Danielis, quòd alis quasi quibusdam subnixius ab Adriatico mari vsq; ad Indicum Oceanum & Gangem fluuium, non tam prælijs, quàm victorijs percurrerit, & in sex annis partem Europæ, & omnem Asiam sibi subiugârit, vt idem Hieronymus scribit.

Cæterùm, quòd mortuó Alexandrò, regnum eius in quatuor partes distinctum est, nequaquam Monarchiam Græcam tollit aut minuit. Retinet enim atq; tuetur nihilominus nomen suum, nec sedem aut locum mutat. Estq; hæc distractio iam ante prædicta à Daniele cap. 7. cum Pardo Alexandrum capita quatuor habenti similem facit: vt euentus cum vaticinio omni è parte congruat. Non igitur nouum regnum incoarunt successores Alexandri, nec nomen imperij mutarunt,

runt, neque sedem regni transtulerunt, sed in vno eodemq; imperio duci suo successerunt, Seleucus in Syria, Ptolomæus in Aegypto, Antigonus in Asia minori, Antipater in Macedonia. Idq; ipsum etiam in cap. 8. vaticinatus est Daniel, cum inquit: Hircus caprarum res maximas gessit, cumq; creuisset, fractum est cornu insigne, & orta sunt quatuor cornua in loco illius, versus quatuor ventos cœli. Vbi valde concinna est Theodoretii interpretatio, qui hircum ait propter celeritatem agilitatemq; appellari Alexandrum. Apertum est autem manifestumq;, conuenientiam vaticinij & rei siue euentus firmam, fixam, & in perpetuum ratam esse habendam. Non igitur video, quomodo aut cur de tertia Monarchia Alexandri & successorum eius quisquam dubitare possit.

Supereft de quarta Monarchia
Roma-

Romanorum, & quæ nunc Germanorum est propria, difficilior magisq; operosa explicatio: vt ad vadum scopulumq; iam appulsa omnino videatur oratio, vnde vix posset emergere. Intellego enim non nunc primùm hanc à Ioanne Bodino in contentione poni, sed iam olim quoq; à Iudæis ipsis in controuersiam disceptationemq; vocatam esse. Sic enim scribit Theodoretus oratione septimâ in Danielem: Ego, in præsentia omiſſâ Iudæorum accusatione, vehementer admiror, quosdam pietatis magistros quartam bestiam vocasse regnum Macedonicum. Oportuit enim ipsos primùm considerare tertiam bestiam quatuor habuisse capita, quod aperte indicabat post Alexandri obitum quadripartitam regni diuisionem. Iccirco non tam Ioanni Bodino oculato, quàm cæcis & pertinacibus Iudæis satisfaciendum

endum mihi hoc loco perspicio.
 Verum bene se res habet: iacta sunt
 iam tum fundamenta confirmatio-
 nis in Daniele, quæ si tenuero &
 explicauero, nihil erit, quod desi-
 deretur amplius. Sic ergo ait Da-
 niel: Regnum quartum erit forte
 sicut ferrum. Et in capite 7. Bestia
 quarta erat terribilis & horrenda.
 Utrobique audis quidem de nume-
 ro, sed nomen tamen nullum expri-
 mitur. Quod si vel in hoc conte-
 xtu, vel in alio quodam loco scri-
 pturæ extaret, minus laborarem.
 Unde igitur constat, quartum re-
 gnum fuisse Romanum? Hic inpri-
 mis cum Theodoreto respondeo,
 nomen Romanorum iccirco reti-
 ceri, quod hæc Monarchia non ex
 vna, sed ex plurimis nationib. con-
 flata est. Non enim Imperatores
 Romani, vt in superioribus Monar-
 chijs, ex vna natione, gente aut fa-
 miliâ orti sunt, sed augustum illud
 impe-

TVOR MONARCHIIS.

imperij decus, ad homines dispari
conditione, ex diuersissimis natio-
nibus, admirabili commutatione
atque vicissitudine translatum est.
Cum vix sexaginta nouem annos
stetisset Romana Monarchia, defi-
ciebat Cæsarum progenies, & ex-
tincto Nerone, successio imperij in
alias familias transferebatur. Ac
Traianus quidem primus ex pere-
grinis extra Italiam, in Hispania na-
tus, imperij dignitatem consecutus
est. Post eum nunc ex Pannonia,
nunc ex Dacia, nunc ex Dardania,
nunc ex Dalmacia, nunc ex Gallia,
nunc ex Thracia, nunc ex Cappa-
docia Imperatores delecti sunt, do-
nec tandem ad Germanos hoc tan-
tum imperij fastigiū peruenit. Non
ergo nominis Romani neglectio,
aut prætermissio in Danielis vatici-
nio tantum obest, vt propterea res
ipsa, hoc est, imperium siue Monar-
chia Romana negari possit. Solent
C 4 enim

ORATIO DE QVA-

enim Prophetæ sæpenumero vocabula rerum propria suppressere, & imaginibus quibusdam pingere, aut periphrasi ita describere aliquid, ut nihilominus, quid velint, cognosci certò possit.

Videamus igitur, si placet, singulas huius περιφράσεως regni quarti partes, ut quam aptè ad imperium Romanum conueniant, liquidò iudicari possit.

Primum ait, regnum quartum esse forte, ut ferrum. Deinde pedes & digitos pedum esse mixtos ex luto & ferro. Tum venturum in hoc ipsò regnò Messiam in carnem, ad incoandum spirituale regnum æternum, tandemque aduentu suò gloriosò ad iudicium in extremo die, deleturum esse omnia regna mundi.

Iam cum ferro quònam modò Romanum Imperium congruit? Ferrum equidem robore & duricie
omnia

T V O R M O N A R C H I I S .

omnia metalla superat. Sic Monarchia Romanæ robur & maiestas inuicta hæctenus, inde vsq; à Græcorum imperiò manet, superioraque regna firmitudine & perpetuitate longè vincit. Anteuertit enim & anticipauit natiuitatem Christi, & nunc in senecta mundi ad ruinam inclinati eiusdem expectat ad iudicandum mortuos & viuos reditum. Nec profectò alia caussa est, cur veteres Romani ferreos annulos in manibus gestârint, & in hodiernum vsq; diem Cæsaribus ferrea corona imponatur, nisi vt ferrei regni prædicti à Daniele, nomen decusque retineatur. Est igitur ferrea hæc Monarchia, quia tantò tempore stetit, nec frangi aut tolli penitus ab vllò hæctenus potuit, nec abolbitur etiam in posterum. Id enim rectè ferreum dicimus, quod robustum, durum, solidum, inuictumq; est. Ex quo etiam ferreos & Adamanti-

mantinos dicimus eos, quorum infractæ vires ad tempus longius perseverant.

Si cui verò inconueniens esse videtur, postremæ Monarchiæ longius temporis aut durationis spacium tribuere, quàm superioribus, aureæ, argenteæ & æreæ: Iccirco quia naturale est, vt quò quidq; ab origine abest propius, eò sit melius, constantius & durabilius, is non tam quid ratio probet, quàm quid sanctum Dei verbum pronunciat, spectet. Sic est patefactum per Danielem D E I decretum, vt quarta Monarchia hospitium nascenti Messia præbeat, eumq; venientem in nubibus ad iudicandum viuos & mortuos excipiat. Vtrumq; igitur compleri oportet, & cùm initio huius Monarchiæ natus sit noster Messias, certum est stare eam vsque ad reditum eius ad vniuersale iudicium oportere.

Estq;

TVOR MONARCHIIS.

Estq; dulcis harmonia siue consensus vaticinij Danielis & Epistolæ ad Hebræos. Quod enim de quarta Monarchiâ vaticinatus est Daniel, quod in ea nasciturus sit Christus, & æternum regnum incoaturus; id eodem modo de his vltimis temporibus affirmat Epistola ad Hebræos, cum ait: In extremis diebus hisce locutus est nobis Deus per filium. Eandem phrasin imitatus est Gregorius Nazianzenus Oratione secundâ in Pascha, inquiens: In fine seculorum Christi passio contigit. Idem igitur sunt prorsus quartum Danielis regnum, & extrema tempora Epistolæ ad Ebræos. Nec possumus saltem fingere alia tempora extrema, quàm quæ suppeditat hæc ipsa nobis quarta Monarchia, vtpote in qua verè locutus est Deus nobis per filium, hominem factum. Cumq; hæc ipsa tempora adhuc durent, & duratura sint vsq; ad redi-

ORATIO DE QVA

ad reditum Christi Iudicis gloriosum: dubium nullū est, quin etiam quarta Monarchia maneat, & mansura sit vsque ad destructionem vniuersalem omnium regionum mundi per aduentum filij Dei ad iudicium.

Altera pars periphraeos Romanæ Monarchiæ de pedibus & digitis ex ferro & lutō mixtis, etsi difficultatis aliquid habere videatur: tamen ex interpretatione ipsius Prophetæ, & collatione euentūs, cognosci liquidò poterit. Interpretatur autem Daniel diuersitatem pedum & digitorum de diuisione regni: & lutum quidem de imbecillitate, ferrum verò de robore seu potentiâ. Non igitur vniusmodi, aut eiusdem potentiæ perpetuò debuit esse quarta Monarchia, sed diuisa, ita vt aliàs plus, aliàs minùs virium haberet. Idq; ipsa etiam ferri natura nos docet, vtpote quod rubigine scabra alicubi eroditur, & exeditur.

T V O R M O N A R C H I I S .

ditur. Lutum verò inprimis fragile est & caducum. Quocirca minimè ex æquabilitate, aut constantiâ fortunæ, seu virium, hoc quartum regnum est æstimandum; sed diuisum est, distractum, & vix cohæret, sicut difficulter cohærent omnia, quæ ex diuersis rebus, *ἐκ ὁμοειρέτοις*, secundum Aristotelem, miscentur. Perinde ac si ollam quis ex ferri & luti massa fingere velit, opus haud stabile aut firmum efficiet.

Interim tamen hoc non est negligendum, quod Daniel addit, Regnum hoc, quantumuis diuisum, & ex ferro lutòq; conflatum, de ferri robore oriri. Quod cum ita sit, satis manifestum est, fundamentum siue radicem, vt sic dicam, regni huius esse firmam ac solidam, ita vt euelli aut extirpari penitùs non possit, ante *πανολεθρίαν* illam siue vniuersalem regnorum mundi deletionem. Ex hac Prophetæ ipsius interpre-

ORATIO DE QVA

terpretatione elucet inprimis illud, quod gemina sit forma seu facies Imperij Romani, ferrea & lutea, siue potens, & contrita seu infirma. Id cum res euentusq; clarissime demonstraret, nemo de veritate & convenientia Imperij Romani & praedictionis Danielis dubitare potest. Ac nisi historiae in medio essent, & notae omnibus, longa narratione nunc planum hoc faciendum mihi putarem, quomodo diuisum siue distractum sit Imperium Romanum, & quomodo alias floruerit armatum potentia & maiestate magna, alias ita debilitatum sit, vt nisi a planta ferrea pependisset, vniuersum iamdudum concidisset & euauisset.

Estq; admiratione omnium hominum dignissima vicissitudo ista in regno quarto, qualis non in vlla alia historia reperitur. Nam praeterquam, quod Imperatores plurimi
nefa-

T V O R M O N A R C H I I S .

nefariè trucidati sunt, vt sanguine
penè maduisse videatur Imperium
Romanum; varijs etiam casibus si-
ue telis fortunæ propositum fuit.
Vix anni abierant à Christo natò
162. cùm duos Augustos simul ha-
bere cepit Imperium Romanum,
Antonium Philosophum, & Luci-
um Aurelium Verum. Deinde in-
terfectò Maximinò, peste & horri-
bili bestiâ Reipublicæ, duo Gor-
diani, pater & filius simul impera-
runt, & post eos satis longò tem-
pore duo itentidem Imperij con-
fortes extiterunt. Sub Gallo verò
& Volusianò Impp. exteris & bar-
baris gentibus, tributum etiam an-
nuum populus Romanus pendere
coactus est. Non multò post Vale-
rianus à Sapore Persarum rege vi-
ctus, in seruitutem perpetuam da-
tus est, & scabelli locò habitus,
quò nixus Sapores equū conscen-
dit. Mox sub Gallieno inuenti sunt
tyran-

ORATIO DE QVA

tyranni triginta, qui imperium in-
uaserunt, & pro Imperatoribus se-
se gesserunt. Sic miserè scissum &
laceratum est imperium, & de gra-
du fastigióq; Maiestatis deiectum:
vt veritas vaticinij Danielis omni
è parte comprobetur, & lutum cum
ferro mixtum palàm conspiciatur.

Ferreum erat verè imperium Ro-
manum, cùm Augustus totius orbis
censum ageret. Ex quo satis fuit
perspicuum, esse illum orbis terræ
dominum & Monarcham, cui om-
nes populi nationesque parerent.
Sed interuallò non longò post ce-
pit esse luteum, dum vires eius pau-
latim fractæ sunt, & diminuta po-
tentia. Ac si quis fortè ex Impera-
torum hæctenus enumeratorum hi-
storiâ minùs perspicit, quàm mise-
rè & crudeliter laceratum sit, siue
vt verbò Prophetico vtar, diuisum
Romanum regnum, is vel ex solius
Constantini Magni rebus cogno-
scere

T V O R M O N A R C H I I S .

scere poterit. Fuit enim ille potens
 quidem, felix, & Augustus Impera-
 tor, victor & triumphator, vt tan-
 quam lumen aliquod Imperij Ro-
 mani cluxerit, & tamen sub hoc ip-
 so Imperium Romanum inter qua-
 tuor Principes diuisum est. Nec
 multò post extinctis collegis atque
 hostibus, solus Constantinus impe-
 rium obtinuit. Post eum tres filij
 rerum summâ potiti sunt, Constan-
 tinus, Constantius, & Constans:
 tandemq; ad vnum Constantinum
 iterum imperatoria Maiestas delata
 est. Neq; id solùm in historia Con-
 stantini Magni admiratione dignũ
 est, quòd vnum idemq; imperium
 in tot Imperatores, tanquam mem-
 bra distractum est, sed admirabilius
 est multò, quòd sedem ipsam huius
 regni ab Occidente in Orientem
 transtulit: dum Româ relictâ, Con-
 stantinopolim imperij sedem & do-
 micilium constituit, quam nouam

D Romam

Romam etiam vocavit. Hic si diuisum regnum neges, haud sanè scio, quidnam diuisum esse dicas. Non solum inter ipsos Imperatores tot, vnò tempore distractum est regnum, sed loci etiam ipsius mutatio facta, vt penè euanuisse præclaram illam orbis terræ dominam, Romam, cum suo Imperio Romano existimes. A qua quidem opinione nec ipse prorsus alienum animum haberem, nisi prædictionis propheticae autoritas me retraheret. Cum enim nominet diuisum regnum, non aliud fingere vllum nobis licet, præter vnicum illud, quod quartum appellauit: quantumuis etiam in partes multò plures scinderetur. Cohærent enim naturâ partes cum suo totò, & membra pendent à corpore. Quapropter diuisio nulla tanta esse potest, vt Imperij Romani corpus penitus adimat.

Videas eiusdem diuisionis viua
etiam

T V O R M O N A R C H I I S .

etiam exempla in consequentibus
Imperatoribus, quorum alij Occi-
denti, alij verò Orientali præfue-
runt, & bella etiam intestina gesse-
runt, non obstante vlló propinqui-
tatis aut cognationis iure. Sed man-
sit nihilominus Imperij robur sub
Theodosio, quod omnibus genti-
bus formidini atque terrori fuit.
Post illum verò mox imperante
Theodosio iuniore, debilitari eius
potentia cepit, cum annis 400. to-
tis Italia partim hostium metu per-
culsa est, partim armis externis op-
pressa: ac Roma ipsa victrix & do-
mina orbis à Gothis, duce Alari-
cho, capta est. Steterat autem Mo-
narchia Romana annos 456. cum
in hostium potestatem vrbs redacta
est, & seruitutem miseram seruire
coacta. Hic iterum vides lutum ex
altera Imperij Romani parte, dum
nihilominus ex altera, nimirum in
Oriente, ferrum eminuit.

D 2

Sed

Sed hæc ipsa facies imperij Occidentalis, quamuis squalida sit & lutosa siue luctuosa penitus, tamen deformior & tristior multò redditur sub sequentibus quibusdam Imperatoribus. Nam Maximò imperante, Genfericus Vandalorum rex precibus & promissis multis inuitatus ab Eudoxia, Romam non solum opibus, sed etiam ornamentis imperialibus omnibus spoliauit, eaq; secum in Africam abduxit. Hic, si quidem Onuphrium audimus, parum abfuit, quin Occidentis imperij nomen & maiestas omnis extincta sit, & tamen in hoc ipso luto de robore ferri aliquid reliquum Deus fecit. Quamuis tandem Occidentale imperium prorsus desierit, dum barbaris & peregrinis diripiendum & inflammandum est relictum. Quò sanè mirari magis fatum conuenit, quod nomen etiam ipsum Augusti quasi exaruerit, dum non amplius
 Augu-

Augustum, sed Augustulum Imperatorem Occidens habuit, & non solum in Italia, sed in Gallia etiam Romanum Imperium defecit, ut iam neq; rem, neq; nomen Imperij Occidentalis agnoscas. Verè igitur tunc in luto adhæsit hoc præclarum Imperium, & re euentuq; vaticinium Danielis comprobavit. Nec tamen interea ferrum planè desijt, sed in Oriente clarè emicuit. Vnde etiam imperante Iustinianò, annò 537. à Monarchiæ Romanæ initiò, iterum erupit, & vim suam potentiamq; longè lateq; diffudit. Nam & Carthago Vandalis erepta in Romanorū potestatem redacta est. Et Roma ipsa depulsis Gothicis recuperata, & Romanis denuò subiecta est. Quò factò respirare atq; colligere sese Imperium Romanum insigniter cepit, adeò, ut ipsemet Iustinianus scribat, tertiam partem totius orbis tunc sibi accreuisse.

ORATIO DE QVA

Etsi autem verè ferreum tunc imperium Romanum videri potuerit, cum, deuictis omnibus exteris & peregrinis, suum decus & robur recuperauit, tamen non longè post, iterum Italia à Longobardis occupata est, excussio omni Orientalis imperij præsidio, mansitq; in eorum potestate annis 206. sed Roma tamen potiti non sunt Longobardi. Quò tempore iterum Occidentis imperium luto, quàm ferro fuit similius, donec annò Christi 800. Monarchiæ verò Romanæ 846. Carolus Magnus rex Francicus, Imperator Romanus & Augustus Romæ certis plausibus, & approbatione insigni totius populi salutatus est. Hòc enim duce & autore Romani imperij robur reparatum est, & lutum denuò in ferrum mutatum, vt hác ipsã vicissitudine veritas prædictionis Propheticæ palàm confirmaretur.

Etsi

Etsi autem à Germano Franco-
rum sanguine, v̄t Meyerus ait, or-
tus sit hic Carolus; tamen Impera-
tor & Augustus dicitur, non ob
Francicum regnum, sed ob Roma-
num imperium, quod legitimò con-
sensu pontificis Romani & imperij
Græci ad eum translatus est. Hic
iterum fortunæ conuersio, vel po-
tius vicissitudo magna conspicitur.
Dum enim imperium Occidentis
instauratur, & ferri vim recipit, ex
altera parte, Orientis scilicet, incli-
natio ingens fieri incipit, dum in
Asia incredibili penè successu Sar-
racenorum aucta est potentia, adeò
vt Palæstinam, Syriam, Arabiam,
Mesopotamiam, & bonam Asiæ
partem, tum Africam etiam ipsam
littoralem ad montem Atlantem
vsq; occupârint, & duobus regnis
constitutis, vnò in Aegypto, alterò
in Babylone, Monarchiam quasi
quandã nouam introducere conati
D 4 sint.

sint. Quod sanè quid aliud est, quàm idipsum, quod Daniel ait, regnum quartum ex parte contritum fore? quid enim est conteri siue atteri, si hoc non est, quando de corpore tot membra auelluntur, atq; adeò in corpus ipsum sæuitur?

Est etiam cap. 7. Danielis hoc ipsum vaticinium, quamuis commutatis verbis atque figuris repetitum. Cùm enim dixisset Propheta, decem cornua esse quartæ bestia, hoc est, regna complecti multa, vt mos est scripturæ sanctæ, decimum numerũ pro magno vsurpare; mox addit prophetiam de hoc Mahometicò regnò, quod sub Heraclio auspicijs non bonis cœptum est, & Romanum regnum, Ecclesiamque affligit, donec ad iudicium venerit Christus.

Vt autem in Orientis imperiò inclinatio ad lutum ingens facta est hõc tempore: sic contra in Occidente

dente ferri instar inuictum fuit imperium . Nam Henricus & Otto-
 nes Imperatores atque Augusti ,
 translatum à Francis ad se imperij
 decus , non solum retinuerunt , sed
 strenuè etiam auxerunt , fueruntq;
 verè ferrei , hoc est , inuicti custodes
 & propugnatores pacis , iusticiæ ,
 atq; etiam religionis . De Henrico
 enim memorant Historici , quòd
 omnes gentes & reges illum vene-
 rati sint . Ottonum verò virtutem &
 felicitatem diuinam quis ignorat ?
 Quid dicam de Henrico quarto ,
 quò nemo cum hoste sapius colla-
 tis signis conflixit , utpote qui bis &
 sexagies cum gentibus ferocissimis
 dimicauit ? Neque verò translatio
 ista imperij à Francis ad Saxones
 dignitatem imperij vllò modò mu-
 tauit aut minuit . Mansit enim im-
 mota imperij Maiestas , nomen &
 sceptrum , quamuis ad alias famili-
 as peruenerit . Cunradus Franco-
 niæ

niæ dux moriturus misit Henrico Saxoni omnia Imperij insignia, sceptrum, coronã, & cætera ornamenta, autorq; fuit Imperij proceribus, vt per legitima sua suffragia illũ Imperatorem eligerent. Ottonem Magnum coronauit Hildebertus Archiepiscopus Moguntinus, traditõ illi gladiõ Imperiali & baltheõ, vt de natiuo & genuinõ Imperiõ Romano dubitare fas non sit, quin illud ipsum fuerit, quod hi Imperatores heroici gesserunt.

Vt autem nulla felicitas humana est perpetua; sic nec ista Occidentis potentia fuit diuturna. Nam Vuenceslaõ imperante penè omnis eius gloria tanquam flos decidit. Ex quo querelæ graues natæ sunt, quod de potente illõ & venerando quondam gentibus & regibus Romanõ Imperiõ, præfiguratõ in tibijs ferreis, cui olim nihil defuerit, nisi modicum Orientis, tunc nihil

TVOR MONARCHIIS.

hil relictum sit, nisi modicum Occidentis.

Spero, cognosci ex hac commo-
nefactione vices illas regni quarti,
quas imagine ferri & luti Propheta
prædicit: nec dubito, diuisionem
regni huius, omnemq; eius fortu-
nam florentem pariter atq; inclina-
tam sic esse demonstratam, vt vbe-
riore aut euidentiori declaratione
minimè sit opus. Cùm itaq; & hæc
secunda nota quartæ Monarchiæ à
Daniele posita, ad Romanum im-
perium omni ex parte congruat,
nemo negare potest, quin verè hoc
ipsum regnum, cuius reliquias mi-
seras & afflictas persequimur, quar-
tum regnum à Propheta nomine-
tur.

Sed superest nota tertia, quæ cla-
rissimè omnium Romanum imperi-
um nobis confirmabit. Sic enim in-
quit Daniel: In diebus illis, scilicet
quartæ Monarchiæ, suscitabit Deus
cœli

ORATIO DE QVA

coeli regnum, quod in æternum non destructur, & regnum hoc alteri populo non tradetur. Commi-
 nuet autem & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Quid aliud hæc verba volunt, quàm Christi æternum regnum in-
 nuere? Est autem duplex huius regni tempus notatum. Prius quidem in his terris, stante imperio mundi vltimò, quando scilicet Christus in carnem venit, & regnum suum per verbi ministerium ac donum Spiritus sancti palàm incoavit. Id enim vocat Daniel suscitare regnū æternum. Posterius verò in finali iudicio incipiet, cùm venerit filius Dei cum potestate magnâ, & omnia regna mundi abolebit, nouumq; regnum cœleste instituet. De hoc enim regnò ait Propheta, quod comminuturum fit & consumturum vniuersa regna mundi. Itaq; aliter quàm de iudicio extremò filij Dei intel-

T V O R M O N A R C H I I S .

intelligi non potest. Iam in memoriam redi, & principium connecte cum fine: In diebus illis, inquit, istud regnum æternum suscitabitur: & sequi inde sine cuiusquam contradictione intelliges, quòd & vltima hæc sit Monarchia quarta, & quod in nullum aliud regnum in terris, quàm in Romanum hæc prædictio conueniat. In hoc enim æternum Christi regnum cepit, & in eodem etiam nunc finem mundi, per gloriosum Christi aduentum ad iudicium assiduis votis expectamus. Fuit enim verè hoc consilium Dei, vt per hæc quatuor regna tempus Messia nascituri, & eiusdem ad iudicium redituri nobis prædiceret. Vt igitur nascentem Christum monstravit Augusti census per totum terrarum orbem in initio Monarchiæ quartæ: ita aduentum Christi ad iudicium nunc ostendit, vel potius portendit eiusdem imperij ad præci-

ORATIO DE QVA

præcipitem ruinam inclinatio, ut
dubium nobis esse nullum possit,
quin breui consumpturus sit Chri-
stus, omnia mundana regna per il-
lustrem & lætum suum ad nos in
gloria & maiestate summâ reditum.
Est enim ita eneruatum, accisum,
attritum, debilitatum, & in angu-
stias tantas redactum hoc Imperium
Romanum, ut vix modicum occi-
dentis retineat. Veni ergo I E S U
C H R I S T E, & abolitis hisce mun-
danis omnibus ex hoc lutô siue lu-
ctu & squalore in coeleste tuum &
æternum regnum, luce, læticiâ &
beatitudine affluens nos recipe.

H A E C ad euertendum interpo-
latum Ioannis Bodini errorem sa-
tis esse existimo, nec rationibus aut
argumentis alijs opus esse. Non
enim argumentis contendendum
est, humanô ingenio excogitatis,
vbi diuina dominatur & sufficit au-
toritas, & rei ipsius siue euentus ad-
stipu-

TVOR MONARCHIIS.

adstipulatur veritas. Possem quidem autoribus ad hoc confirmandum vti grauissimis, Hieronymo, Augustino, Theodoretō, Lyrā, atq; adeo totius antiquitatis consensu, sed plus valeat apud nos Prophetæ non ambiguum neque obscurum, sed expressum, & experiētiā ipsā stabilitum testimonium. Quod si secutus esset in sua methodo historica Ioannes Bodinus, minus in dubitationem atq; errorem raptus esset. Sed dum, relictis vel certē non satis consideratis scripturæ verbis, cæcorum Magistrorum Iudæorum interpretationi assentiri mauult, fieri non potest, quin in easdem erroris tenebras cum illis incidat. Non enim defuerunt ante Theodoretum etiam, qui regnum ferreum ad Alexandrum Macedonem accommodarunt, & pedes pedumque digitos, ex ferro & testā compositos, ad eius successores. Sed hi, inquit Theo-

ORATIO DE QVA-

Theodoretus , ne numerum quidem regnorum & tempora à Daniele monstrata assecuti sunt , sed totò coelò , quod aiunt , aberrarunt.

Vetus est hoc artificium Iudæorum , vel potiùs elusio , atq; depravatio scripturæ , vt omnia , quæ de Christo , aut eius spirituali regno dicuntur , in politicũ sensum transforment , quia aliud sentire aut scribere de Christi regnò æternò non possunt , dum conceptis opinionibus suis , & iam penitus inueterato errori indulgent , nullum alium Christum , præter politicum , fingentes. Iccirco malunt omnia testimonia de spirituali regnò Messiaë eludere & pervertere , quàm vt hoc perniciosum somnium sibi patiantur eripi. Etiam Hieronymus ait , Iudæi , & impius Porphyrius , omnia hæc Danielis verba ad populum Israël malè referunt. Valeant igitur cum impio suò somniò Iudæi,

T V O R M O N A R C H I I S .

dæi, nec peruerfa eorum & nubilo-
sa contradictio, aut scripturæ in-
terpretatio perspicuum doctrinæ
Propheticæ sensum obscuret, aut
ambiguum reddat.

Absit etiam, vt vel leuitate, vel
petulantia ingenij, aut plures Mo-
narchias fingamus, quam expresse
ponit Daniel, aut propter infirmi-
tatem Imperio Romano titulum
quarti regni aut Monarchiæ dene-
gemus, ne & Deo, autori istius va-
ticinij, & experientia ipsi reclama-
re videamur. Sit potentior Prin-
ceps Aethiopum, sit rex regum &
dominus dominantium Gog ma-
gnus Tartarus Cham, teneat rex
Hispaniarum Imperium maius aut
amplius Romanò siue Germanicò:
non tamen propterea est Impera-
tor seu Monarcha Romanus à Da-
niele prædictus. Desinat ergo ob-
ijcere nobis Ioannes Bodinus, vel
Tartari, vel Aethiopis, vel Ara-
bum,

E

bum,

bum , vel Galli etiam imperium ,
 nec tam spectet, quid amplum sit
 aut magnificum in mundo , quàm
 quid cum vaticinio Prophetico
 congruat. Non enim fas est nobis,
 vlli regi appellationem regni aut
 Monarchiæ quartæ tribuere , nisi
 cui diuina assignat autoritas . In
 alijs , quæ rationi aut intelligentiæ
 subiecta sunt, vti licet humano iudi-
 cio , quanto quisq; potest : (quan-
 quam ne id quidem extra præscri-
 ptas in quaque disciplinâ aut scien-
 tiâ regulas ,) In vaticinio autem
 isto Prophetico verbum duntaxat
 valet , præsertim cum illud omni è
 parte nunc comprobârit euentus.

Ita error est Ioannis Bodini ve-
 tus & quidem detestabilis , si seriò,
 refellendus verò, si, vt quidam opi-
 nantur , ingenij , vel , vt ego suspi-
 cor, Iudæorum causa simulatè con-
 tra Monarchias disputauit. Verùm
 impia est , contra Deum , aut diui-
 num

num ipsius verbum disputandi consuetudo, siue ex animo id fiat, siue simulatè. Et oportet nos Christianos non incertâ spe duci, aut pendere animis, cum de diuino verbo agimus. Sed persuasum hoc penitus nobis habeamus, CHRISTI nostri natiuitatem aptè cum Danielis prophetia congruere, & in quartam Monarchiam incidisse. Cumque hæc pars vaticinij Danielis certò euenerit, certi sumus euenturum etiam alterum, vt in nubibus venientem filium DEI videamus, ad liberandum nos ab omni lutò & cœnò, in quo miserè hæremus atque luctamur, stante adhuc eò ipso ordine imperiorum, quem prædixit Daniel, nempe in Monarchia quartâ & vltimâ. Idque vt quàm primum fiat, votis, suspirijs & gemitibus assiduis te oramus, fili DEI IESV CHRISTE, quo in regnum illud tuum æternum & per-

E . 2 . beatum,

ORAT. DE QVAT. MON.

beatum, læticiã, & luce abundans
traducamur, & re factoque sum-
ma vaticinij atque promissi
tui compleatur.

F I N I S.






L I P S I A E,

IMPRIMEBAT IOANNES
STEINMAN,

Anno

M. D. LXXXI.




LIPSIÆ


CHRISTOPH. JOHANNES
STREIBER

Anno

M. D. LXXXI.








68325

(220 2091)

TA POL

~~///~~





ORATIO
 DE QUATVOR
 MONARCHIIS, SIVE
 SUMMIS IMPERIIS, A
 Daniele Propheta ex-
 pressis.

Ratio

CONTRA VETEREM
 IVDÆORVM ERROREM,
 hoc tempore à Ioanne Bodino
 Gallo, in methodo histo-
 rica renouatum.

*Altera oratio q̄ eundem
 anno et millenario quinto eius
 isagoges syriaca.*

Matthæus Dresserus.

Dresserus



15

81

87

87
8187

L I P S I Æ.

B

